

B. N. II. 16.  
Nr. 47, 18.

I. N. D. N. F. C.

(X1877868)

JURIS PUBLICI  
EXERCITIUM ACADEMICUM

DE

S T A T U  
N O B I L I T A T I S  
I M M E D I A T Æ S. R. I.

vulgò

Der Freyen Ohn-Mittelbah-  
ren Reichs-Ritterſchafft

P R A E S I D E  
D. JOHANNE HENRICO  
FELTZIO

Instit. Imp. & Juris Publici P. P. Ordinario

In Celeberrima Argentoratensium Universitate  
propugnabit

GEORGIVS ADAMVS WINTER  
Weiskirchens. J. U. Studios.

Congressus primus instituetur Solenniter

Die 24. Novemb. M DC. XCVIII.

ARGENTORATI,  
Literis DANIELIS MAAGII.



JLLUSTRISSIMO AC GENE-  
ROSISIMO DOMINO  
DOMINO  
JOANNI  
ERWINO  
LIBERO BARONI  
DE SCHÖNBORN,  
Domino in Reichelsberg , Heüs-  
senstamm, & Martinstein.

Sacræ Cæsareæ Maiestatis Consiliario Imperiali Aulico, & Camerario, Eminentissimi ac Celsissimi Archi-Episcopi Electoris Moguntini Consiliario Intimo, Supremo Venationum ac Forestorum Præfecto,  
nec non Archi-Satrapæ in Steinheim ad Mœnum ,



Domino meo perquam Gratijs.

*Illustriſſime ac Generoſiſſime Do-  
mine , Domine perquām  
Gratioſe.*



*D* pulchrum fontem  
studiorum meorum cursus ſtitur,  
ut fessus Academico labore ani-  
mus *Gratiæ Tuae lymphâ irrige-*  
*tur. Sub Illuſtriſſimi Nominis Tui*  
auspiciis in lucem prodeo , ut hinc *Coronato ac*  
*triplici rupi iſſidente Leone stipatus, indè forti*  
*protectus Clypeo, utpotè Gentiliis Tuis glorioſis*  
)( 2 Signis.

Signis munitus , contra antagonistas litteraria in  
arena intrepidus perfistam ; Nec temeritatis  
notam me ita incurrere autumo , aut si quæ  
est hic temeritas , eam in minùs sinistram acce-  
ptum iri partem , confido , cùm sequar id , ad  
quod non solum singularis *Tua* in immeritum  
*Gratia* jam dudùm invitavit , Verùm etiam ele-  
cta hæc *Juris Publici* materia de *Statu Nobili-  
tatis Immediatae S. R. I.* me incitavit ; Etenim  
in *Immediata Rhenana Imperii Nobilitate Fl-  
lustriſſima Schönborniorum Familia* non obscuris  
splendorum radiis atquè prærogativis coruscat,  
quippè sœculo jam XII. in *Euchario* splendida, qui  
splendor ad nostra hæc tempora cum ſuño honoris  
incremento & amplioribus titulis propagatus Pa-  
triam nostram *Moguntinam* non minùs, ac totum  
Romano-Germanicum Imperium latè illustravit,  
Dùm nostra jam ætas duos *Schönbornios* vidit  
& venerata est Principes Electores , quorum  
*Primo* gloriosissimæ memoriae Principi , indefeſ-  
ſum Tranquillitatis Publicæ studium , matura in  
arduis Imperii Negotiis prudentia , atque Justi-  
tia , ut cœteras eximias , ac Tanto Principe di-  
gnas



gnas animi dotes taceam , etiam post fata , ubi  
nulla adulatio[n]is subest suspicio , laudem compa-  
rârunt immortalem ; Secundo verò Avitæ Glo-  
riæ ac Virtutis Successori jamnūm feliciter im-  
peranti *Dominu[n]o nostro Clementissimo* , ut annos  
cum pacifico ac fortunato regimine ad seros us-  
què nepotes , prolonget Deus , fideles subditi ar-  
dentibus votis exoptant ; Habet sanè Archi-dioœ-  
cesis Moguntina , de quo , pristino per Tantos  
Principes ac Patriæ Patres restituta vigori , glorie-  
tur , Sub quorum felicissimo regimine aurea  
pax iteratis vicibus resul[s]it Europæ . Resplendescit  
quoquè Nobilissimæ Farniliæ *Tua Amplitudo*  
in *Tua Illustriſime ac Generoſiſime Domine ima-*  
gine , qui Illustrioribus Legationibus , tam ad Cæſa-  
ream , quam diversorum Imperii Principum Aulas ,  
ac publicos Circulorum Conventus magna cum  
dexteritate es defunctus , & illustria , quibus Te me-  
rita *Tua* decorârunt , munia etiamnūm prudenter  
& cum publica gratulatione administras ; Illud au-  
tem singularis planè exempli , ac generosi utiquè  
animi est , quod tantis meritis inusitato fœdere  
summam humanitatem habeas copulatam ; Quæ  
sanè

sanè etiam me animavit, ut confidenter sperare  
audeam, fore, ut qualemque hocce specimen in  
ea præcipuè Academia exhibutum, in qua *Bæ-  
clerianus* quondam calamus, Electoratui etiam  
Moguntino inserviit, *Tibi*, Gratioſo vultu lu-  
beat irradiare.

*Illustriſſimæ ac  
Generoſiſſimæ Excellentiæ  
Tuæ*

Subiectiſſimus ac fideliſſimus  
ſervus

GEORG. ADAMVS WINTER.





Q. D. B. V.

JURIS PUBLICI

EXERCITIUM ACADEMICUM,

*De Statu*

# NOBILITATIS IMMEDIATAE

S. R. J.

*vulgò,*

Der freyen Ohn = Mittelbahren  
Reichs = Ritterschafft.



U*i* Jura Imperii Romano-  
Germanici publica justo doctrinæ  
ordine ac pleno systemate pertra-  
ctare satagunt, ii in partem hujus  
instituti sui non utique postre-  
mam advocare solent, *Nobilita-*  
*tem ejus Immediatam*; cuius originem, jura, immuni-  
ties, privilegia, diversa quidem connectendi collo-  
candique ratione, at omnes tamen separatim atque  
ex professo recensent, ac juridica commentatione

A

cunt

cunt illustratum. Nobis, quæ circa conditionem eorum civilem, quam vel habuerunt quandoque, vel adhuc habent, controversa, vel sunt vel fuerunt saltem, in regesta Academica conjicere ac certamini eruditorum ita submittere animus est, ut & eorum tamen jurium, circa quæ nulla ipsis lis movetur, potissimum si sint peculiaria, nec vel cum mediata Imperii vel cum externa aliarum Rerumpublicarum Nobilitate communia, aliqua mentio injiciatur. *Statūs* nomine id omne complexi sumus, quippe qui civilem qualitatem, quâ in Republica præditi sunt, facultatem inquam, atque obligacionem, jura, si scholæ voces applicandæ, tam aetiva, quam passiva, ambitu suo designat. Plane, cum quædam jura Immediatorum Nobilium ita sint comparata, ut principalia meritò habeantur, ex quibus quippe reliqua tanquam ex fonte ac principio derivari fas est; illa modo quodam eminenti *statum* eorum producere, non egeris incongrue, si dicas. Quod si ad effecta jurium reflectere quis velit, salvo aliorum judicio, ita partiri ea poterit, ut primo consignet ea jura, quæ ὀχιστιν habent ad integrum Imperii corpus ac totam Reipublicæ compagem. Utrovis modo rem consideres, sed & ex generalium prærogativa præ specialibus, primum sibi jure locum in ordine tractationis vindicat ipsum

## JUS IMMEDIATEIS.

*Sive qualitas eorum Immediata, cuius vi neminem agnoscunt, à quo dependeant, nisi Imperatorem & Imperium, nulli Statui subjecti.*

Sugge-

Suggerunt hanc descriptionem LL. publicæ, quārum vigore dudum in formulam solennem ivit ac Stilum Curiæ, ut dicerentur: Ohngemittelte Ritterschafft: Freye Ritterschafft / so der Käyserlichen Majestät und dem H. Reich ohne Mittel unterworffen. In Recessu Imperii Augustano de anno 1555. & Ratisponensi de anno 1576; explicatius ac plenius, dem Reich ohne Mittel / und sonst keiner andern Gerichtbarbarkeit / item keiner anderer Herrschafft unterworffen / in Ordinatione Camerali; von anderer Herren Lands = Obrigkeit gefreyet / und Käyserlichen Majestät und dem Reich allein mit Pflicht zugethan argumento R. J. de anno 1542. qui charactrem suum civilem ab Imperio habent, die ihre Ehre und würde von dem Heyl. Reich haben / sc. immediate, in R. J. Augustano de anno 1500. Ubi non excluditur Imperator, sicut vicissim tacite quoque Imperium comprehendi censetur, ubi Imperatoris solius fit mentio, ut quando in der Freyen Reichs = Ritterschafft in Schwaben von K. Ferdinando confirmirten Ordnung legitur: daß die freyen Reichs = Ritterliche Adels = Personen / allein und ohne alles Mittel Ihr Käyserlichen Majestät unterworffen und versprüchig.

Contradistinct eos character iste Nobilibus Imperii Mediatis, qui ordinibus Imperii aliive immediate, ipsi autem Imperio mediatè subjecti sunt; qua itaque ratione se hi, quos *Landsassios* vulgo dicimus, habent ad Dominum territorialem, den Lands-Herren; eadem ratione & relatione gaudent immediati adversus Imp. & Imperium, ut auctoritate publicâ magis, quam ratione destituatur, si quis cum

L. 3. P. 1. 23, I. Juris publici non minus ac privati consulto Jo. STRAU  
CHIO *Reichsaffios*, eos appellare velit.

Excludit, uti prolata modo suggerunt, hoc *διεξόμενα* in totum jurisdictionem Electorum Principum, aliorumque Statuum Imperii, à qua immediati nostri exempti sunt, utpote nullius subditi, quam Imperatoris & Imperii, jam autem in non subditum juris dicendi potestas non competit, quod sicut principiis juris prudentiæ universalibus prorsus congruit, ita in juris etiam Romani corpus inde derivatum cernitur.

*I. fin. ff. de  
jurisd.*

*Gold. Conf.  
Imp. III. 120.*

*Grot. J. B. &  
P. III. XVIII.  
4.*

*L. I. C. ubi se-  
mat. & pas-  
fim.*

Utrum vero hęc exemptio civilia tantum negotia concernat, ita ut Immediati in territorio statūs alicujus Imperii delinquentes, ibique reperti, capi judicari & puniri possint, quæstionis est non obiter tractandæ; Negativæ patrocinatur regula exemptionis; analogia juris in Clericis continentis; quod ministeriales sint Imp. & Imperii; & milites; reservata ab Imp. pæna; exemplum Principum Immediatorum; quod pari in parem nulla potestas; jus Austregarum, de quo infra; Affirmativæ vicissim favet, quod *bonum & equum id est, merum jus naturæ patiatur pœnas exigi, ubi reperitur, qui deliquit*; hinc competentia fori ex loco delicti tantum non omnium gentium jure civili sancita, Romano etiam; jungunt rationes secundarias, ab odio delinquentium, necessaria publice delictorum pœna, exemplo legatorum petitas; Hæc fere summa est eorum, quæ in hac disquisitione prolixe proponuntur, hinc quidem, à Generoso ac Strenuo Ordinis Equestris adsertore CASP. à LERCH; inde vero à JCto celebri PHIL. KNIPSCHILD. Nobis, si hic quid dicere fas est, videtur tentandum esse, anon huc patiatur se applicari ex analogia juris, Hu-

GONA



GONI GROTI O circa legatos adhibita distinctio delictorum, quæ contemni possint, & quæ sint atrocia & ad publicum malum spectantia, quorum etiam punitio moræ impatiens, ita ut in his quidem major sit Statuum in Nobiles Immediatos in suo territorio delinquentes ac repertos potestas, quam in illis; quod si directè quis in Remp. mali quid machinetur, per modum naturalis defensionis erga eum, quin procedi possit, non dubitamus. Verum in delictis vulgaribus, cum facile ea possint judici ordinario, qui hic non utique in pari cum Statu Imperii gradu esse deprehenditur, sed superior est, Camera sc. Imperialis & judicium Aulicum, denunciari possint; videtur utique in præjudicium fori ordinarii id verge-re, si procedere criminaliter velit Status Imperii in membrum Imperii Immediatum. Plane si jure suo ultro, licet tacite etiam, judex superior cedat, patiaturque processum criminalem in dicto casu à Statu Imperii institui; tollitur præjudicium, ac disquiri posset, annon in hoc casu nomine superioris judicis censeatur agi, quicquid agitur. Ita sanè in praxi Imperii servi-ri, ut non tantum Nobiles, sed & Barones ac Comites Immediati, si in Principum aliorumque Statuum ter-ritoriis delinquant & ibi apprehendantur, forum for-tiantur, & criminaliter puniri possint, nonnullis præ-ludiciis confirmatum esse etiam COLLEGIUM ARGENTORA-TENSE profitetur ad Tit. ff. de Accusationibus, VULTEJI, BE-SOLDI, SCHRAADERI testimonia producens, quamvis & li-mitationē statim alleget ex MEICHSNERO, cuius ista sunt:  
*Si in alieno territorio delictum sit, magistratum ordinarium inconsulto Imperatore capitaliter procedere non posse; quæ hanc in sententiam affertur Justinianæ Con-*

1. 6.

8. 12.



l. 3. C. ubi.  
Senat.

stitutio, de privilegiis clarissimorum apud Romanos, usum illustrandi habere potest, vim probandi non æque.

Excludit autem porro Immedietas Nobilium reliqua etiam imperii jura, sive totam Statuum Imperii superioritatem territorialem, cui ab altera parte respondet subjectio & fides, quæ subditi est, Unterthanen-Pflicht / quam qui debet Domino territoriali, eo ipso fit mediatus; Quia vero subjectio vel personam respicere potest, vel bona; ad illam præcipue hic reflextimus, ita ut Immediati *persona* nulli Statui, sed unicè ac immediate Imp. & Imperio subjecta esse debeat, id quod primum adæquatum & substantiale signum est, quo discernuntur à mediatis; Quod vero *bona* attinet, ea triplicis fere generis hic deprehendimus; sunt, quæ ab Imp. & Imperio recognoscunt, quorum mentionem facit R. I. Augustanus de Anno 1500. ibi: *Dieweil sie (die Ritterschafft zu Franckn/Schwaben und Rhein-Lan-*  
*den) von dem Heyl. Reich den mehrern Theil ihrer Gü-*  
*ter haben / titulo Feudi ut plurimum quali & corporalia*  
*ut fundos pagos & incorporalia v. g. merum Imperium*  
*die Blutbann possident; & horum nomine possessores*  
*etiam immediati dici possunt, ita ut quâ ratione nullum*  
*resp. personæ suæ dominum civilem agnoseunt, nisi*  
*Imp. & Imperium, sic nec quoad hæc bona; sunt, quæ à*  
*Statibus, Principibus, Comitibus Imperii hoc eodem feu-*  
*di titulo procedunt, ita ut horum nomine sint vasalli*  
*Statuum, hisque & dominium directum, & Jus curiæ*  
*seu jurisdictione feudalismus, quoad ea competat; id quod*  
*tamen haud impedit, quo minus hæc eadem bona sint*  
*quoad jurisdictionem civilem & in universum quoad*  
*jura imperii immediate subjecta Imp. & Imperio. In*  
*mille.*

mille Germaniae locis videre est , ait Henricus à RÖSENTHAL , quod Nobiles , vasalli Principum *etiam ratione feudorum , quæ ab Electoribus aliisque Principibus tenent , immediate subsint Imperatori & Imperio.* Videatur id præcipue hac occasione contigisse , quod Nobiles in barbaris adhuc Germaniae sacerulis , cum de propria allodiorum suorum defensione erga potentiores præcipue desperarent , horum ipsorum tutelam , & oblatione bonorum suorum in feudum , ambire confuerint . Utriusque porro dicti generis bona , castra ac prædia , etsi sint *in territorio* alicujus Principis sita , non tamen *de territorio* ejus esse censentur , ( Sie seynd in aber nicht von oder under der Lands - Obrigkeit ) sed iisdem privilegiis & juribus utuntur quibus civitas immediata . Sunt verò denique etiam , quæ immediati possident bona , territoriali Statuum superioritati subjecta , & horum ratione Nobiles liberi mediatis æquiparati , ac *respectu territorii aliis Statibus subjecti* reperiuntur , quæ verba sunt Instrumenti Pacis Westphalicæ . Manifestum hinc fit , unum eundemque Nobilem respectu personæ immediatum , respectu bonorum verò aliquorum mediatum , respectu aliorum etiam immediatum esse posse ; nihil porrò obstare , quo minus unus idemque sit resp. eorundem bonorum Vasallus Electoris , Principis , Episcopi &c. & Nobilis tamen immediatus imperii , ac resp. aliorum bonorum Vasallus pariter ac subditus imperii . Differunt enim , uti jam monitum , die *Huldigungs - Pflicht* sive vinculum subjectionis , quo obsequium ac fidem Domino subditi debent ; & die *Lehens - Pflicht* / sive vinculum vasallagii , quo propter rem feudalem vasallus Domino feudi ad fidem non item ad obsequium ita generale , ut subditus , obstringitur .

Ab

Ab utroque diversum quid est, die Amptis = Pflicht/ sive vinculum officialium , quo, quibus à Principe munus quoddam commissum, ei sunt devincti; atque hoc etiam vinculo , quin Nobiles Immediati Statibus imperii se devincire, atque hoc ipsis nomine subjicere se possint , non est dubium ; quâ verò ratione immedietati ipsorum in universum non fit præjudicium , quoad dependentiam civilem personæ suæ pariter ac bonorum ab Imp. & Imperio , à qua & reliqua jura particularia suam originem trahunt.

p. 3. iii. 3.

*Effectus enim immedietatis hujus, uti ex parte jam recensiti, ex parte vero infra designabuntur, ita generaliter in eo consistunt, ut quæ constitutiones Imperii de Immediatis loquuntur , illæ & ad Nobiles nostros pertinere censeantur, etiamsi diserta eorum mentio non fiat; sic e. g. cum in Ordinatione Camerali inter causas ad Cameram pertinentes recensetur , Tutorum & Curatorum petitio & administratio, idque ad immediatos pertinere & analogia juris publici & praxis Imperii doceat; sane & in Nobilium Immediatorum tutela id obtinere palam est; ut vel à Camera vel à Judicio Aulico constituatur ac confirmetur; ampliatio quæ addi solet, etiamsi pupilli maximam partem bonorum territoriali Status alicujus potestati subjectam habeant, fluit ex eo principio, quod supra tradidimus , immedietatem potissimum respicere ad personam , cui vero principaliter datur tutor, quæque ut indivisa administrationem bonorum secum trahit.*

§. 4. 3. qui  
iij. iii.

Porro & quæ de *probanda* Immedietate in praxi occurtere, & à publici Juris Doctoribus discuti solent dubia , Nostros attinent, quoad potissimum partem; ut si quæratur, an per privilegia à Principe privative concessa

cessā probetur? an per privilegia à Cæsare concessa? quod utrumque rectius negatur; aliqua interim non nisi certo respectu huc applicari queunt, ut quando de vocatione ad Comitia & collectatione immediata, an demonstrandæ Immediatorum qualitati sufficient, agitur; verum de his infra commodior tractandi locus erit.

Sed & quæ immedietati *adversatur*, *exemptio*; qua sc. quis ab immediata Imperii subjectione vindicatur & eximitur, tanquam ad immediatam *eximentis* pertinens, proprie quidem & in gradu *excellenter* de iis dicitur, qui in Matricula Imperii reperiuntur, ac jus sedendi votandique in Comitiis habent, aut habere prætendunt, atque in collectis immediate præstandis, in des *Reichs Anschlægen* / in des *Reichs gemeinen und nicht privilegierten Hülffen* / ratam suam ordinarie contribuere tenentur, quale quid de Nobilibus Nostris in praxi hodier na Imperii adseri haud potest; at eatenus tamen controversiæ exemptionum & hic locum sortiuntur, quatenus sub iisdem protectionis, confœderationis, feudalis jurisdictionis &c. prætextibus; quales, magna cum libertate & *παρρησίᾳ* justitiæ sacerdote digna, recenset dijudicatque D. ZACHARIAS VIETOR *de causis exemptionum Imperii*; non defuerunt utique, qui Nobilium etiam libertatem aggredentur, & in dubium vocarent; neque forte minus hic interesse totius Imperii versari dices, quam ubi ad ordinariam collectationem ipso jure tenentur, de quorum *exemptione* lis est. Verum satis pro limite instituti *de jure immedietatis*; transeundum est ad alterum *jus principale, generale, & quod integrum societatem*

civilem vel in primis respicit, sed non æque lite controversiaque exemptum est; ubi nempe quæritur de Nobilitate Immediata,

## AN STATUS IMPERII?

VI. III. 7.

Duplicem hujus *controversiae Statum*, accuratioris doctrinæ causa, dudum sibi constituendum duxit publici juris consultorum princeps Jo. LIMNAVS; primum, An Nobiles Immediati olim Status fuerint Imperii? alterum an Status Imperii esse desierint, an vero adhuc hodie titulo isthac insigniri debeant possintque?

Ubi PRIOR quidem annon egrediatur fori juri-  
dici cancellis, inde rationem subsistendi arcessas,  
quod mere historica videatur quæstio, qualis in  
jure publico hodierno usu caret, cuius est docere,  
quem nunc statum obtineant in Rep. nobiles, non  
attento, quem olim habuerint; sed in salvo rès est,  
postquam dudum eruditæ demonstrarunt, quod-  
que argumentum juris in primis publici exacte co-  
gnosci non posse, nisi ab ovo id repetas, atque, qui-  
bus initiis cæperit, quibus accessionibus creverit, ac  
adoleverit, penitus indages; historia sane unam ala-  
rum constituit, quarum ope ad sublime publicæ  
juris prudentiæ culmen subvolare fas est; & longe  
capaciorem deprehendes JCtum, conditi juris inde  
à primordio Reip. mutatique subinde & exoleti hi-  
storia instructum, quam nuda juris, quo jam utimur,  
atque simplici, qualis & subdito cuivis incumbit,  
cognitione ac peritia præditum. In nostra certe  
hypothesi, si, uti fama haud ita pridem tulit, Nobi-  
les Immediati jus sessionis & voti in Comitiis actuale

in Aula Cæsarea alibique quærant, quis dubitet, quin magnum pro intentione ipsorum fundanda momentum futurum sit, si antiquitus, quicquid hoc juris est, se possedisse & exercuisse doceant?

Adserentium itaque in priori quæstionis membro primi fere sub emergentis Juris publici Scholæ auspiciis fuerunt, MARTINVS RÜMELINVS,  
GERLACVS BXTORFF, Bullæ Aureæ Commentatores, CHRISTOPHORVS BE SOLDVS, accessere his plures alii; quibus antagonistam se s̄tit Jo. LIMNAVS, contra quem vero magno conatu  
eos defendere n̄isus est Hippolythus von Treibbach/ in  
dem unfür greiflichen Bedencken über etliche Fragen/  
der Freyen Reichs-Ritterschafft in Schwaben/ Fran-  
cken und am Rheinstrom/ Stand und Session betref-  
fend. Tegi hoc nomine non CASP. LERCH, nec  
KREITMANNVM, sed PHIL. KNIPSCHILD, Reipubl.  
Eßlingensis Syndicum, cum prius suspicatus jam es-  
set ERICUS MAURITIUS, nuperrime professus publice  
est, Knipschildii ex filia nepos, Vir Amplissimus, Jo.  
PHIL. DATT, Consiliarius Würtembergicus. Acce-  
dit adsertoribus CASP. à LERCH zu Dürmstein/ quem  
auctorem credunt, Berichts und Antwort der Polit-  
schen Frag/ ob des Heyl. Römischen Reichs Ohnmit-  
telbahrer Adel ein Stand des Reichs seye.

*Vol. Rer. Ger-  
man. p. 252.*

Nobis, uti, quæ prolixè dicti scriptores invicem disputant, singula discutere jam non vacat, ita solidiori examini thematis hujus præmittenda vide-  
tur concisa resolutio textuum præcipuorum, quos ex LL. publicis in partes suas adducunt adseren-  
tes, eo ordine instituenda, ut temporis respiciatur series; occurrit ergo primo textus A. B. in proœ-  
mio, ubi post exhibitam suæ istius Constitutionis

causam impulsivam & finalem, CAROLVS IV. locum in digitaturus & modum, Leges ait: *infra scriptas &c. edidimus &c.*

*In solenni Curia nostra Nürembergensi assidentibus nobis omnibus Principibus, Electoribus &c. Procerum, NOBILIUM & Civitatum multitudine numerosa &c. matura deliberatione prævia &c.*

Concludunt inde non Commentatores tantum supra dicti, sed & alii DD. quos novissime etiam sequitur Celeberrimus SCHILTERVS noster, Nobiles speciatim ita dictos, id est, Immediatos in Comitiis Imperii comparuisse, & suffragii jure non destitutos fuisse; Qua ratione enim memorantur ad sedisse Electores Principes &c. eadem & Nobiles, ita ut & ipsi merito in partem *mature deliberationis*, quam Imp. se instituisse profitetur, vocati venisse censeantur. At dubiam reddere hanc argumentationem variis modis tentat LIMNAVS; principio, ait, variantem in hoc ipso passu, lectionem deprehendi; in Germanica versione, quæ habetur in Editione Rec. I. Moguntina de Anno 1573. legi: *Fürsten Freyen/ Fürtreffende Edlen &c.* in altera editione Moguntina de Anno 1615. haber: *Fürsten/ Graven/ Freyherren/ Edlen &c.* in alia, quam GOLDASTVS exhibit, *Fürsten/ Graven/ Bañier/ Edel/ Freyen/* ita ut quid per Nobiles hic notetur, incertum sit, imo forte legendum: *Procerum Nobilium conjunctim*, ut qui singillatim enumerati erant, Electores Principes, Comites, Barones, hac jam formula quasi recapitulatoria omnes notari censeantur. Verum sicuti hanc

con-

INF. 3. P. I. I.  
xxii. 5. II.  
xxx. 9.

P. II. der  
Reichs-Sa-  
nung p. 47.  
§99.



conjecturam ipse dubitanter hic proponit; ita in Additionibus fatetur, eam unanimi latinorum exemplorum consensu, quæ commate sejungunt  $\tau\delta$  Procerum, &  $\tau\delta$  Nobilium, plane refelli; id quod porro quoque firmat autographum Francofurtanum, in editione THULEMARIANA. Versionum Germanicarum discrepantia interpretum eruditionem vel ignorantiam, transcriptores diligentes vel negligentes arguit; sed authenticæ Latini textus auctoritati nihil derogat; in ea interim, quam luci publicæ nuper SCHILTERIANA cura exhibuit, separatim apparent: Graven / Pannerherrn / Freyen / Edel. Verum largiuntur tandem, præsentes in Comitiis istis fuisse Nobiles; nec enim id præfracte contra fidem instrumenti ad eo publici & soleñis negare sustinent; at gemina jam exceptione vim argumenti inde in rem nostram vertendi elidere conantur. Prior est; Nobilium hic formula generali, atque nulla distinctione inter mediatos & immediatos facta, mentionem injici, adeoque male inde concludi ad Immediatos præcise; altera, interfuisse Comitiis non tanquam Status, sed tanquam consiliarios & adjutores Imperii. Sicut autem prior hanc patitur replicationem, quod etsi diserte denominatio Immediatorum non reperiatur adjecta, tamen, cum id de iis hic enuntietur, quod in Nobiles Imperii tantum quadrat, merito dicatur vocem Nobilium hic stare pro suo significatu eminentiori, quo Immediatos notat, qui & ANDREÆ GAILO inde primarii Nobiles audiunt; ita de posteriori paulò amplius dispiciendum est. Sane in thesi indubium est, posse ab Imperatore aliquem vel aliquos ad conventus & Comitia vocari,

Tom. II. Inf.  
J. P. tit. xix.

votandi causa, non in vim decisionis, sed in usum consilii, & hoc est, quod, quem huc citare solent, Auctor der Donawertischen Erinnerung / innuit, ait: wie dann den Römischen Känsern freygestanden / nach ihrem Gefallen und Gelegenheit / nicht allein die anwesende Thur- und Fürsten / sondern auch Graven / Ritter / Edelknecht / Weise / Gelehrte / hohen und niedern Stands / sc. in den Rath zu ziehen / sie mit ihrem Bedenken zu hören / oder in dern Beysein / und nicht mit deru Willen / auff gemeinen Sammlungen zu verfahren. Addit in sequentibus; Principes pariter ut Nobiles quandoque Consiliariorum rationem habere, ut quando Imp. formula citatoria habet: vor uns und unsern Fürsten / intelligantur Principes non qua tales, sed, qua existentes in aula Consiliarii aulici.

Verum quid hæc ad nostram hypothesin? Arenam sine calce necatis, si argumenteris; fuerunt quandoque Nobiles ab Impp. in consilium tantum advocati, Ergo & in Comitiis de Anno 1356. hoc titulo comparuerunt. Aut anne idem statues de Electoribus, Principibus, Comitibus, Baronibus? Non arbitror. Atqui non alia illi formula adfuisse memorantur, quam qua Nobiles; nullum discriminis vel leve indicium; ut *adsidentibus Electoribus*, ita & adsidente *Nobilium numerosa multitudine se deliberasse* primo Imp. profitetur, inde *LL.* in *A. B.* contentas, *edidisse*, *statuisse*, *sancivisse*. In vetustioribus quidem Comitiis sub Carolina Impp. prosapie, non aliam Procerum quam suadendi auctoritatem fuisse, ita ut tanquam consiliarii tantum interfuerint, statuendique ac dcernendi arbitrium penes Impp. plane & omnimodo

&amp;

pag. 169.

p. 173.



& absque ulla restrictione fuerit , plerorumque habet opinio , cui tamen novissime contradixit Jo. SCHILTERUS ; sed hæc Caroli IV. tempora haud pertingunt , quibus non jam amplius controversiæ obnoxium fuit Jus Statuum in Comitiis. *Adsidere* *sqq.*  
 Imperatori deliberanti & promulganti heic non nudam præsentiam consilia subministrantium , sed auctoritatem suffragii in Comitiis proferendi , cum obligatiōne indicentis ad pluralitatem suffragiorum considerandam , in Electoribus , Principibus &c. citra omne dubium complectitur ; atque cum eodem sermonis tenore & contextu *adsedisse* & Nobiles nostri adserantur ; qui in istis aliter hanc vocem , atque de nudo quasi Assessoratu , qualis fere apud Romanos judicibus consulendo inserviebat , accipiendam pronuntiant , illi , ut onus probandi suis patiantur humeris imponi , jus fasque efflagitat , in recta ratione regulas interpretandi subministrante manifestò fundatum . Quæ porro circa hunc locum controvèrtuntur , ipsi conflictui jure reservamus , haud adornatur justam commentationem sed palæstræ Academicæ materiam subjecturi ; succedat ergo alter locus LL. publicarum , qui & A. B. in passu modo producto illustrandæ erit idoneus , è SIGISMUNDI Caroli IV. filii & successoris Bulla , tum Regia de Anno 1414. tum Imperatoria de Anno 1434 ; profiteatur ibi , se contenta istius Constitutionis pronuntiasse , decrevisse &c.

*Tam ecclesiasticorum quam secularium  
Principum sacri Romani Imperii Electorum consilio & consensu accedente , non im-*

*pro-*

*Inst. J. P. I.  
IV. xiii, 10.*

provide nec per errorem, sed animo delibera-  
to, aliorum etiam Principum plurimorum  
Ecclesiasticorum & secularium, Baronum,  
NOBILIMUM &c. mature communicato  
consilio.

Et in progressu, de successione in Electoratu Pa-  
latino legem latus, hoc idem recenset sancitum  
esse per Carolum IV. genitorem suum,

*Omnium ac singulorum Principum Elec-  
torum & multorum sacri Romani Imperii  
Principum, Comitum NOBILIMUM &c.  
consilio & unanimi consensu accedente.*

Evidem primo adspectu videri possent verba pri-  
ora pro LIMNAEO contra Nobiles pugnare; cum  
Sigismundus diserte contradistinguat Electores, quo-  
rum *consilium & consensus* accesserit, quiue adeo  
principaliter concurrerint ad actum hunc legislato-  
rium; & alios, cum quibus deliberationis causa *con-  
silium* tantum communicaverit, quibus & Nobiles  
accenset; verum, qua ratione *consilium* hic debeat  
intelligi, ex supra dictis apertum est, & amplius di-  
stinctiusque declarat Cl. SCHILTERUS; atque idem  
tamen, quod Principibus Nobilitati tribuit Imp. nec ex  
separata propositione de Electoribus quicquam effici-  
tur, quae vel characteri eorundem præ aliis eximio, vel  
peculiari Electorum in causa ista Electoratum con-  
cernente *interesse*, vel denique arbitrio ejus, cuius  
stilo hæc consignari Imp. fecit, adscribuntur; sane  
in

in posterioribus verbis perspicuum est , Nobilibus haud minus, atque Electoribus Principibus & Comiticus , *Consilium & Consensum* tribui. Non ergo nudos consiliarios se stiterunt Nobiles , deren Bedencken zu hören / uti loquitur die Donawärtische Erinnerung / aut, in deren Beyseyn / verfahren werde ; sed ut jure suffragii gaudentes, quorum *consensu*, mit dem Willen / ut eadem habet , res agenda. Qua quidem ratione etiam instantia , quam LIMNAEUS de A. B. parte altera Metis in præsentia Episcopi Albanensis . Caroli Regis Franciæ primogeniti &c. quibus tamen jus ferendi suffragii nemo ad signaverit , promulgata affert , eliditur. An Comitiis Norimbergensi- bus de Anno 1422. item de Anno 1431. 1437. 1438. 1441. aliisque , quorum meminit quidem LEHMANUS & GOLBASTUS sed parce , interfuerit Nobilitas , nisi ex Archivis demum producantur Recessus ipsi, liquere non potest.

Tertius itaque ex LL. Imperii publicis textus est admodum perspicuus, in Reformatione FRIDERICI III. Imp. Francofurti ad Mœnum sancta Anno 1442. in cuius prooemio ait :

Mit Beywesen und Rath unserer und des Heil. Reichs Churfürsten / und Fürsten / Geistlichen und Weltlichen / Graffen / Freyen / Herm Ritter / Knecht / und Städt / die wir dann durch sie selbst oder ihr mächtige Sendboten / darumb in sonderheit her zu uns zu kommen / gebotten und gehetissen haben / sezen und gebieten wir / c.

Vocationem ad comitia , comparitionem & consilium ex æquo hic adtribui , Electoribus , Principi-

C bus

bus &c. & Nobilitati equestri , palam est ; nec enim  
 ulla nos cogit necessitas , ut præter rationem con-  
 textus verba generalia ibi : die wir dann / ic. ad ali-  
 quas tantum ex præmissis personis restringamus ;  
 plane id ad immediatos tantum Nobiles pertinere, ut  
 ad Comitia hoc fine vocentur , ut ipsis præsentibus  
 ac eorum consensu ac consilio fiat Constitutio Imp.  
 publica, ( darumb insonderheit sc. ut præcedentia innu-  
 unt, das mit ihrem Beywesen und Rath eine Ordnung  
 gemacht werde / ) inde facile elicetur , quod mediatos  
 Nobiles in negotiis Imperii publicis simul cum Do-  
 minis suis territorialibus consultare, prorsus incon-  
 gruum foret, & in ipsorummet Dominorum territorialium  
 præjudicium vergeret ; sicuti per civitates eti-  
 am non utique municipales , aut superioritati terri-  
 toriali obnoxiae , sed liberæ ac Imperiales intelligen-  
 dæ. Fallit ergo hic saltem manifestò thesis Lim-  
 næana , qua de Nobilibus in genere in LL. publicis  
 agi adserit , quando comparere in Comitiis tradunt ;  
 dicuntur enim hic, sicuti unser und des Heil. Reichs  
**Churfürsten** / ic. ita & unser und des Heil. Reichs Rit-  
 ter / Knecht / ic. cum nihil impedit quo minus ver-  
 ba hæc ad subsequentes omnes trahantur. Ex cau-  
 sa interim speciali & Mediatos Nobiles , ut cujuscun-  
 que ordinis cives , ad conventus Imperii generales  
 vocari posse , caret dubio , sed nos de ordinaria ses-  
 sione & voto hic agimus, qualia Statum Imperii con-  
 stituere , communis opinio tenet , de qua infra. An  
 ex verbis : durch sie selbst / oder durch ihre mächtige  
**Sendboten** / Nobilitati Immediatæ adplicatis , con-  
 cludi possit , eam ut integrum corpus ad Comitia  
yocatam esse, disquisitu dignum foret , sed & de hoc

in

inferius agetur , ubi resolutis utcunque textibus , certis positionibus totam ist hanc controversiam , prouti res patitur , decisam dabimus .

Per decursum inde plurium annorum in hoc sæculo XV. constans quidem & diserta semper Nobilium nostrorum in Legibus Imperii publicis non fit mentio , sed non tamen nullum vestigium invenitur . Sane Codex R. I. prout editus ab anno h. sæculi 42. uno saltu ad annum 95. properat ; sed supplendus ille venit aliunde . Cum Anno 1471. Comitia Ratisponæ celebraret FRIDERICUS III. Statusque magno numero tum ipsi tum per legatos comparerent , fieretque publica auctoritate ein Anschlag der 10000. Mann , altum ibi , de ordine equestri silentium , prouti videri potest in CHRISTOPH. LEHMANNI Speyrischer Chronic; sed hic tamen ipse , quod notatu non indignum est , consultationem von diesem Anschlag zu dem allgemeinen Türkens-Zug / institutam fuisse pariter refert : In der Versammlung aller Churfürsten / Prälaten / Graven / Herrn / Ritter und Knecht.

VII. 112.

Pag. 968.

In anno 1474. cum Augustæ Vindelicorum iterum dictus Imp. Comitia ageret , quinam in iis compa- ruerint , ex professo & speciatim ab eodem histo- rico enarratur ; ubi vero nulos reperias ex Nobili- tate libera . Subsequentibus in Comitiis de Anno 1479 cum pauci Statuum Imperii congregati fuerint , adeo- que fructu quoque eadem caruerint , non est cur mi- teris , de Nobilibus , quod adfuerint , nihil referri . At in anno 1486. etsi non compareant in dem An- schlag zu Franckfurt gemacht / tamen in Pace profa-

VII. 113.

C 2 na

na, dem Land = Frieden / à Friderico III. hoc anno  
sancita & promulgata clausula habet:

Hieben seyn gewesen unserer / ic. Graven / Herm/  
Ritterschafft / und der Stadt Sädbotten / ic.

VII. 118.

De Comitiis Anni 1487. Norimbergensibus, quam  
idem Lehmannus habet, relatio , non innuit , ulla  
ibi Nobilitatis nostræ partes fuisse. Verum Excerpta  
tamen Actorum Comitialium h. anni, qualia nuper  
in egregio Juris publici Apparatu sub titul. Novi Re-  
rum Germanicarum voluminis edito publicavit, Con-  
siliarius Würtenb. supra laudatus , docent ; Comitiis,  
juxta cum aliis Statibus inter fuisse Ablegatos Socie-  
tatis Clypei San-Georgiani , qualem ad Immediatam  
Nobilitatem Imperii referendam nemo est , qui ab-  
nuat ; textus habet :

Von der Ritterschafft S. Jörgen, Heri Hans Ja-  
cob von Bodmann / Ritter der älter.

Burckart von Ellerbach / ic.

VII. III. 32.

Sicut eodem anno ad Diætam Imperii Esslingæ  
post institutam, se æque vocasse ac Prælatos, Comi-  
tes &c. & Nobiles, FRIDERICUS III. Imp. ipse  
profitetur in Rescripto ad Civitatem liberam ac Im-  
periale Augustam Vindelicorum emisso :

Und mit sambe den Prælaten / Graven/ Herren/  
Ritterschafft / den von Adel / Euch ic. so wir auf  
den bemeldnen Tag zu kommen / gleicher Weiß bes-  
chrieben und erfordert haben.

Optandum foret , literarum harum vocatoriarum,  
quibus Sueviæ Nobiles ad Conventum hunc invitati  
aut si quæ aliaæ procul dubio ad huc in Archivis  
istor-

istorum latent, copiam & exemplum edi ; forte appareret inde, an peculiaris huic vocationi ratio ad Suevici fœderis combinationem tendens , subfuerit, an vero tanquam ex more solenni vocati, illud admodum probabile fit ex iis , quæ Editor horum actorum prolixe differit ; qui in universum etiam censet : *Occasione Suevici fœderis factum esse, ut Conventibus Imperii, in Suevia præsertim, jam inde ab anno 1487. habitis, compareret etiam, non universa Imperii, sed Suevica ad Hegœ tractum, & Danubium sub S. Georgii clypeo jam inde ab initiis sauli XV. confœderata Nobilitas.* Sane universalem inde consequentiam ad jus suffragii & sessionis universæ Imperiali Nobilitati adserendum haud rite deduxeris ; *Suevicos enim, reliquorum omnium nomine comparuisse, ex iis est, quæ nisi probentur, frustra dicuntur.* Atque fecit utique illa Confoederatio Suevica, cum in eam etiam recipi placeret immediatos Nobiles, ut horum præ aliis facta fuerit mentio & specialiter illi ad Comitia & conventus plures vocati fuerint. Itaque nullus dubito de veritate conjecturæ, qua Vir Magnificus, fieri potuisse, ait, ut, *urgentibus auxilia Suevici fœderis Impp. cum sociorum omnium nomine decernenda essent, San-Georgiani etiam clypei Societatis, quæ partem Suevicæ Conœederationis nobilissimam constituebat, assensum Cæsar in Comitiis exquireret.* Verum, quo minus tamen hanc unicum statuas & adæquatam rationem , quare Nobilium fiat in Recessibus Comitorum, ut membrorum Conventus Imperii, in universum mentio; prohibet & generali saepius phrasi concepta Nobilium

Imperii denominatio, & quod istorum concursus jam  
recenseatur, antequam de Suevico illo fœdere quie-  
quam ageretur aut cogitaretur.

Ita porro etiam, quando tum alibi tum in Anno  
1489. in Matricula Imperii post Comites & Barones  
diserte recensentur,

**Die Ganerben von Gelnhausen**

**Die Ganerben von Friedberg**

his quidem ipsis inde Status *ἀξιωμα* jure merito vindic-

**VI. III. 32.** ces; quod autem Jo. LIMNAVS inde loca II. publica-  
rum jam adducta partiū, partim adducenda, ad hos  
& Confœderatos S. Georgii, restringenda, ad alias  
vero nequaquam extendenda esse velit; id vero ma-  
gnum postulatum est, nec ulla consequentiæ vi ni-  
xum, adeoque ita gratis non concedendum.

**VII. 121.** In Comitiis inde Confluentanis Anni 1492. de  
quibus LEHMANNVS, nihil de Nobilitate; sed in Pace  
publica solenniori illa, quæ in Anno 1495. in Conven-  
tu Imperii Wormatiano sancita fuit, An & Ordo  
equestris comitiali suo suffragio intervenerit, disqui-  
situ necessarium est. Sane clausula solennis præsen-  
tiam ejus perspicuis verbis innuit:

Hieben sind gewesen unsere liebe andächtige Ne-  
ven / Oheimen / Schwäger und Getrewe / Churfür-  
sten / Fürsten und Bottschafften / Prelaten / Gra-  
ven / Herren / Ritterschafft / und der Statt Ge-  
sandten in trefflicher Anzahl.

Non æque perspicuum est, quod in principio hu-  
jus constitutionis ibi: mit einmütigem zentigem Rath re.  
**Graven Herin und Stānd** / eandem indigitari ar-  
bitrantur; verum suffragantur de cœtero Acta ho-  
rum Comitiorum, ad quæ & CHRISTOPHORVS BESOL-

DVS

dvs provocat; patet ex iis, tantas fuisse in hoc con-  
ventu Nobilium partes, ut cum de recipiendo com-  
muni denario, & ad receptionem faciendam depu-  
tandis ageretur, illorum quoque honorifica habere-  
tur ratio; die solch Geld einnehmen / ic. derselben sollen  
seyn Sechs / nemlich Zwen von unsern gnedigsten Her-  
ren den Churfürsten ic. Ainer von den Graven und  
gemeiner Ritterschafft / aliter paulo ac separatim in  
subsequentibus: Zu Einnemung sollicher Aussatzung §. 42. n. 21.  
sollen Siben redlich und glaubhaftie Personen gen  
Frankfurt geordnet und bestellt werden / nemlich eine  
von der Königl. Majest. die andere von den Churfür-  
sten / die dritt von den andern Fürsten / Geistlichen und  
Weltlichen / die viert von den Prelaten / die fünft von  
den Graven und Freyherin / die Sechst von der Rit-  
terschafft ic. Plane quin e Nobilitate Imperii coram  
fuerint, dubitare nefas videtur; cum uti pro omni  
instrumento publico, solennis, ita pro Recessu uti-  
que Imperii solennissima veritatis præsumptio mili-  
tet; utrum vero nomine totius corporis aliqui ad-  
fuerint, an Nobilitas tantum in Hegovia & ad Mor-  
tenaviæ tractum, an vocata sit omnis Nobilitas sed  
modo diverso: nec ipsa pacis formula, nec etiam Acta  
publicata præcise & clare determinant; quin rem to-  
tam hanc magis magisque intricant. Suevicam No-  
bilitatem non omnem vocatam, docet confessio pro-  
pria & propositio Der vier viertel S. Georgen Schilt  
aus Schwaben / apud CASP. à LERCH. Sie seyen als  
Freye Dienst-Leut des Reichs zu solchem (ad consul-  
tationem sc. de communi denario) nicht erforderl; 2. Grundsatz  
vicissim Mortenaviam tamen & Hegovianam pecu-  
liariter vocatam esse, profitetur, die Antwort der  
Bers

Versammlung auff solches Fürbringen der Ritterschafft:  
Wie im Reich nicht herkommen sey / die Ritterschafft  
auff die Reichstag sonderlich zu erfordern / aufge-  
nommen die im Hegaw und die aus der Mort-  
tenaw / die weren auch gen Worms erfordert  
worden. Sed anne ergo comparuit vocata?

Atqui potuisset ita innotescere Nobilitati Suevicæ  
quid circa communem denarium actum fuerit; jam  
vero ajunt: sehe ihnen ohnbewußt / wie und warumb  
derselbig gegeben werden solle. Et, si comparuisset  
votumque tulisset Nobilitas, quid opus fuisset ut pe-  
culiariter tractaretur cum Nobilibus; factum tamen  
id est, designatique, qui cum iis de communi dena-  
rio agerent. Ita Acta Comitiorum habent: Item mit  
der Ritterschafft zu Schwaben sollen handlen der  
Bischoff zu Augsburg und Herzog zu Würtemberg/  
& speciatim: der Margraff von Baden soll hand-  
len mit der Ritterschafft in der Mortnaw. Porro  
dicebatur in der Antwort der Versammlung: es sey nicht  
herkommen / die Ritterschafft auff die Reichstag Son-  
derlich zu erfodern / An ergo edicto generali vocaba-  
tur omnis, literis autem speciatim directis aliqua Im-  
perii Nobilitas? Certe, non temere adjecta vox:  
sonderlich / sed hanc undique intricatam litem circa  
Comitia 1495. jam non expedio; & quia de Conven-  
tibus Lindaviensi & Wormatiensi 1497. atque Fri-  
burgensi 1498. nihil est, quod annotare possim,  
in argumento proxime secuturi Congressus  
jam ad legislationem Sæculi XVI<sup>ti</sup>  
progrediar.

S. 75. n. 17.  
seqq.

## COROLLARIA.

*Ex Jure Canonico.*

I.

**I**N causis, in quibus versatur præjudicium animæ, v. g. juramentis, Matrimonio &c. Jus Canonicum potius quàm civile sequimur.

II.

Bona Ecclesiæ non nisi certâ Juris solennitate alienari possunt.

III.

Fundamentum præscriptionis etiam Jure Divino & Ecclesiastico probatur.

IV.

In matrimonio contrahendo non tam quantitas annorum, quam qualitas corporis consideratur.

V.

Temerarium duellorum usum SS. Canones meritò censurâ Ecclesiasticâ prohibuerunt.

*Ex Jure Civili.*

I.

**V**enatio subditis per Principes justè interdicitur.

D

II.

AK  
Leges  
Lugd.

II.

Regula illa : Tacens habetur pro consente, procedit, si solius tacentis præjudicium versatur.

III.

Mulieres aliquando sunt melioris , aliquando deterioris conditionis, quam viri.

IV.

Quando res non potest animi iudicio expediri, & periculum est tantum sortem mittentium , sorti locum damus.

V.

Mutuum licet in eadem pecunia , quam accepit debitor, restituatur , suam naturam non immutat.

*Ex Jure Feudali.*

I.

**U**bi quid certi Jure Feudali determinatum non reperitur, statur Jure communi.

II.

Potest etiam inferior superiorē habere Vasallum.

III.

Vasallus Dominum in bello Justo etiam contra liberos & parentes defendere tenetur.

*F I N I S.*

WDT 300

Signis m  
arena in  
notam n  
est hic te  
ptum iri  
quod no  
Gratia ja  
cta hæc  
tatis Im  
in Imme  
lustriſim  
splendor  
quippè ſe  
splendor  
incremen  
triam no  
Romane  
Dùm n  
& vene  
Primo g  
ſum Tra  
arduis I  
tia, ut



s litteraria in  
c temeritatis  
aut si quæ  
nistram acce  
sequar id, ad  
immeritum  
m etiam ele  
Statu Nobili  
vit ; Etenim  
Cobilitate fl  
non obscuris  
tivis coruscat,  
splendida, qui  
ſumō honoris  
ropagatus Pa  
inūs, ac totum  
atè illustravit,  
inbornios vidi  
es , quorum  
incipi, indefeſ  
m, matura in  
, atque Justi  
o Principe di  
gnas